1235. Rimini (?) Morleio 17 (13)

In nomine domini anno eiusdem millesimo CC. xxxv. temporibus. Gregorii. pape. et Federici.
Imperatoris. die. viiii. intrante. februario. indictione. ottaua. arimini. Ego Agolinus petri taurelli
a sancto vitale volens facere testamentum. Imprimis pro redemptione anime mee relinquo. C. lib.
rau. pro cera et pro offitio mee sepulture que expendant ad sensum et arbitrium mei patris fy
lippi. Item relinquo ecclesie mee sancti vitalis. xx. s. rau. pro anima ipsi ecclesie. Item relinquo uxori
mee domine viviane totum suum refactum quod habui ab ea tempore contracti matrimonii. scilicet xl. lib.
et xx. lib. rau. de meis bonis pro dotibus et contradotibus. Item iure legati relinquo predicte uxori mee. lx. lib.
rau. de meis bonis. et pro his volo ut sit tacita et contenta de omni eo quod heredes meos in
suprascriptos dicere petere seu causari posset. Item iure legati relinquo fuscolo servienti meo
quatuor vegetes vini quas michi dare debet martinus laucari de saugnano in festis proxime
venientis. Item eodem iure relinquo tolomeo servienti meo. duas vegetes vini quas michi dare debet
severinus notarius de saugnano. Item iure legati relinquo servienti mee ymeldine. xx. s. rau. Item
eodem iure relinquo gamiolo servienti meo. xx. s. rau. et omnes pannos suos quos ipse michi habet in
dorso. Item xxx. s. rau. eidem gamiolo relinquo pro servitio quod michi fecit. Item eodem iure le
gati relinquo. xx. s. rau. Americo filio maselde kerlle. Item relinquo gamittolo servienti
meo. viiii. s. rau. quos sibi debeo pro suo servitio. Item iure legati relinquo simoni filio domine
gamitte unam vegetem vini. quam michi dare debet severinus notarius de saugnano. Item iure legati
relinquo dianesie. quatuor vegetes vini quas michi dare debet Iohannes bertedus de cumarino.
In omnibus aliis meis bonis mobilibus et immobilibus iuribus et actionibus corporalibus et incorpo
ralibus ubicumque sint ut reperiri poterint tam in civitate quam extra. Iohannem santahe de hora
sancte marie in carti fratres suosque filios santadinum. Agolinum. et dominam multobonam. et albegutium
filium quondam albici de porta. in pleno iure heredes instituo equalibus portionibus. et liceat
quoque heredibus et legatariis meis post obitum meum in ceteris meis bonis ingredi uti et frui.
Constituo in me. de contractis. et cum licentia innovandi et peticionem persolvendi quibus iure exi
stit. et hec est mea ultima voluntas quam semper valere volo et nunquam mutabo. et
si aliud testamentum vel alteram fecissem voluntatem unquam expresse penitus infirmo et
numquam valere volo. et si hec scriptura mei iudicii vires testamenti habere non poterit saltem
vim quodicillorum obtineat. Quod meum elogium pro ratificatione corporum
firmum et illibatum aput heredes et legatarios meos haberi precipio sub pena. CC. lib. rau.
et ea soluta hoc meum testamentum maneat incorruptum.

Interfuerunt ad hoc rogati testes dominus Iohannes brugaliani. Garatonus eius filius. dominus guido rodolfini
iudex. raineri catig. benintende Iohannis forbitoris. Iohannes de sancto marino in carti. michele petre
nari. arduini lautti catig. raineri luctule. arlotti in carti.

Ego Iohannes olim filius Iohannis forbitoris imperiali auctoritate. arimini. notarius hoc testamentum mandato
dicti testatoris. scripsi. et complevi.

1235

Testamentum [illegible] ye [illegible] filii [illegible]

Brondolo nº 170.

O

Brondolo

N 20 3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1815889233-16/fragment/page=0002